



Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Pro diuinæ voluntatis consummatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

*Pro diuina voluntatis consummatione, Precatio.*Ioan. 19.
v 10.

Benignissime Domine Iesu Christe, Saluator & redemptor humani generis, ac diligentissimus operis illius consummator, quod a Patre tuo cœlesti tibi fuit impositum, scilicet nostræ redemptionis opus, quod multis cum laboribus incepisti, & cum maximis doloribus perfecisti, ac tandem totius passionis tuæ consummationem Patri tuo in summa obrulisti, dicens: *Consummatum est. Benedictum sit Domine ex hoc nomen tuum sanctum, quia ad hoc consummasti, vt nos simus in bono consummati, & inimici nostri consumpti.* Rogo ergo te humiliter da mihi mandata tua perficere, in eis vsque in finem perseuerare, quotidie in tuis sacratissimis virtutibus proficere, omniaq; bene acta & agenda ad tuam laudem ordinare & consummare: consummata verò tibi, & per te Deo Patri offerre, vt in hora mortis me merear dicere: *En Domine Deus meus, opus quod præcepisti mihi vt facerem, perfectum est.* Nunc venio ad te lætus Saluatorem & redemptorem meum, vt videam te facie ad faciem, omnis consummationis scopum & finem, Amen.

Pro intentione simplici, quolibet in opere, Precatio.

Amantissime Domine Iesu Christe obsecro te per amorem illum perfectissimum, quo salutem nostram zelando, vbique tam fideliter, quam feruenter quæris: da mihi rectam, puram, simplicem ac deiformem in singulis intentionem, vt in quibuscumque agendis aut dimittendis, elegendis atque cauendis, & viuens & moriens non aliud quæram, non aliud intendam, quam purè gloriam & beneplacitum tuum. Da igitur mihi fidelissimè amator, vt ex toto corde meo desiderem, diligam & quæram nihil in tempore & æternitate, (extincto per gratiam tuam in me penitus omni priuato amore) quam tuum honorem & gloriam, Amen.

Pro diuini beneplaciti impletione, ad beatam Virginem Mariam, Precatio.

Excellentissimæ dignitatis mater Dei Virgo Maria, obsecro te per singularem illam præminentiam, qua cunctis cœlestibus spiritibus præstas; vtpote gloriosissimè super omnes Angelorum choros exaltata, cœlestium ciuium regina constituta, summæ adorandæq; Trinitati proxima, potentissima simul ac misericordissima, impetra mihi velle & perficere omne beneplacitum dilectissimi filij tui, illucq; ordinare omnes cogitatus, conatus & affectus cordis mei, vt voluntati eius iugiter obediam, & ita placeam, vt post hanc vitam tecum æternam feliciter percipere merear, Amen.

Pro fidelitate & gratitudine ad diuam Virginem Mariam, Precatio.

Oabyssus omnium gratiarum & speculū omnium virtutum misericordissima atque dulcissima Domina mea sancta Maria, impetra mihi à Deo, cuius es mater & filia, vt propter suam pietatē & tuam benignitatē auferat à me odibilem ingritudinem, omnemq; cordis duritiā: vt beneficia eius, scilicet, creationis, redemptionis, misericordissimæ vocationis, protectionis, & cætera, cum summa animi gratitudine recolere valeam, ipsumq; indefinenter laudem & honorem, ipsi cum castissimo cordis iubilo gratis agam, ipsum continenter cum profundissima humilitate, filiali amore, summaq; reuerentia magnificem & adorem, ipsiusq; mandatis perfectè obtemperem. Rogo te præterea o mater suavissima, quæ reuera

meritis